


Si duodecim, vel tresdecim grana seminis huius in puluerem redacta, cum vino albo sumantur, tollunt dolores è lue venerea ortos, aliosq; in artubus exortos. Et licet in capite quadam excitent phantasmata, id tamen non obest. Hactenus illi.



De POZTECPATLI Huaxacensi
Gemmata. Cap. XV.

HERBA est Poztecpatl folia ferens Rutæ, candida, pusilla, conuoluta, ac arborum erumpentibus gemmis similia, quæ toto anno seruat, ac Nasturcium indistincta similitudine sapiunt. caules lignolos, & fascos, ac radices tenues, fibris similes. Nascitur saxosis locis, & asperis montium fragminibus, regionis Huaxacensis. caules & folia, calida & sicca, ordine quarto natura constant. eadem tusa, & drachmæ vnius pondere deuorata, succurrunt neruis, tendonibusq;, aut resolutis aut conuulsis, modo à frigida, & humida euenerit causa, ac amissum restituunt motum. quod est per multis cognitum experimentis.



De TLALATOCHICTL, seu humili
Pulegio. Cap. XVI.

SPECIES est Tlalatochictl Pulegij peregrina, Tragoriganuè. herba namq; est folia habens parua, serrata, Origano similia, binaq; per interualla, & minora. caules tenues. flores purpurascens ex albo. binos quoque ab ipso foliorum prodeuntes exortu. radicem longam, tenuem, & fibratâ. Prouenit montosis, ac planis Xalatlauhij locis, vbi seruari in manipulos redacta in totius anni vsum passim consuevit. Calida, & sicca ordine quarto natura constat. & cum cæteris generibus vrentior sit, linguam tamen, quam primum calefacit, paulo post velut Atochictl species, reddit impensè gelidam. Ius decocti eius discutit status. dolorem ventris tollit. cholice medetur. frigus pellit. vrinam, & sudorem euocat.

D.

De TEPECVITLAÇOTL, seu CVITLAÇOTL montana.

Cap. XVII.



HERBA est Tepecviltlaçotl Pyri habes folia, sed maiora. caules sesquidodrantales, subalbidos. radicem furculosam. nascitur Anenecuilci. radix calida est, & sicca ordine quarto. acris gustus, vrésq;. Hæc tusa, illitaq; dorso, rigores accessio-num tollit. flatum discutit. crassos, & lentos humores attenuat. dolores à frigore, aut flatu ortos lenit. vrinam, & menses trahit. sudores euocat. cõuulsis, & his quibus motus est impeditus auxiliatur. confert resolutis. aliaq; permulta exhibet auxilia, quæ ex simili temperamento solent secundum naturam prouenire.

Folium cordis simile aliquo modo, latitudinem habet trium digitorum. Herba porò ipsa forte Apocyno adiungi poterit, quod ex fructu, si eam Author descripsisset, facile conijci potuisset. folia bina ex aduerso posita, & sapor ille acris, ad hanc suspicionem aliquem possunt mouere.



De TVZPATLI. Cap. XVIII.

TUZPATLIS herba est radicem ferens rotundam, Nuci Ponticæ magnitudine, fibrisq; refertam tenuibus, & cyanei coloris. vnde prodeunt pediculi tenues, & in eis folia sinuosa, & Polypodio penè similia, sed minora, & virentiora. & flos, vt ajunt, nullus. Nascitur in planis, editis, sed calentibus locis Toropeccensibus. Radix est acris, odora gustu, calidaq; & sicca ordine circiter quarto, subtiliùq; partium. Curat hæc impetigines, panos, furunculos, & Gallicum vocatum morbum, & alios discutit præter naturam tumores. radix deuorata, atque applicata alijs morbis succurrit, quod faciliè ex prædictis viribus, quilibet methodo quadam.

N 2 depræ-

deprehendet. Egregia videtur planta, & qua nullæ deberent carere Officinæ.

Folij longitudo naturalis est septem digitorum, latitudo verò maxima octo, estq; figura folij sinuosa, sicut in *Acantho* videmus.

Inter steriles porro herbas, cum fructu careat, reponenda erit. unde *Author*, eam *Polypodio* comparauit. Hanc non puto esse *Drackenam*, cum radice constet rotunda.

De *TZAHVENGVENI TZATSGVAE*, seu *Filipendula Michuacanica*. Cap. XIX.

HERBA est *Filipendula Michuacanica*, radicem fundens glandi simili, intrinsecus candentem, & extra fuscam, desinentem in tenuem, & longum funiculum; unde prodit caulis purpurascens ornatus folijs in tres partes, quarum media maior est, diuisis ferratijq; & floribus circa postremos ramos per ambitum coccineis, ac media parte luteis, cum alba quadam *Iride*. Nascitur in frigidis motibus, & eorum verrucis *Iacambaci* prouinciæ *Michuacanensis*. Radix est calida, & sicca ordine tertio completo, & quarto incipiente, acrisq; & subamari saporis. odoris verò *Copalli*, aut *Tecomahace* perfimilis. Folia tufa & admota, medentur scabiei, & redacta in puluerem vlcibus, & præcipue pudendorum. radices tula, atque ex aqua deorata duarum drachmarum pondere, vrinam, & menses euocant. conuulsionem curant. pectori conferunt. frigus pellunt. referant obstructa. opitulatur celiacis, hydropticis, cholicis, iliicis, & cæteris quibus medicamenta calida siccaq; ordine tertio, subitulum partium solent conferre.

De *TZAHVENGVENI*, seu *Filipendula Michuac. altera*. Cap. XX.



TZAHVENGVENI herba, est radices proferens illis nostratis *Oenantes* similes, sed paulò maiores, & fibris refertas, quinās, senasue, inter se connexas. è quatum singulis vnicus prodit caulis, refertus folijs angustis, & longis. floribus circa medium luteis. in ambitu verò purpurascens. Nascitur in frigidis *Michuacanis* sibus, quale est *Pusquarum*. Radix *Copallis* vocati saporem refert, calida & sicca ordine quarto natura, & nonnihil amara. Scabiem illita dicitur tollere, & pustulis ortis à lue Gallica mederi, flatum discutere, pellere frigus, sudores euocare, calefacere membra refrigerata, & pectoris affectionibus conferre. subitiles partes sortitur. unde quibus posset facile permultos alios diuinare vltus.

Filipendula nomen generale est, & in pluribus

ribus plantarum generibus inuenitur. quedam enim in ferulaceo genere reperiuntur: alie verò *Quinquefolijs* adnumerantur. quas verò *Autor* in hoc & præcedenti *Capite* describit, in alio prorsus sunt genere. nempe *Corymbifero*, siue *Euphthalmico*: florem enim herba describit similem *Asteri Attico*. nec vires huius generis ablutunt. sunt enim multa, aromatica, & calida.

De *TZOCVILPATLI*. Cap. XXI.

TZOCVILPATLIS ALIA.



HERBA est *Tzocvilpatlis* quatuor dodrantes longa, folia ferens *Ocy-mi*, parua, crenata, ac nonnihil spinosa, & caules radici fibratæ insistentes. flores verò abeuntes in pappos, summis quibusque caulibus senos, septenosue appendentes. Nascitur editis, & calentibus locis *Papalotispaci*. Odo- ra est, & quarto ordine calefaciens, & exiccans. Folia deorata ex aqua pugilli vnus mensura, dolores capitis ac totius corporis tollunt, purgantq;. quin- glans è radicibus parata, & supposita, ventris mitigat dolores, & extergit in- testina.



De YCHATLEPATLI. Cap. XXII.

YCHATLEPATLIS I.



YCHATLEPATLIS II.



YCHATLEPATLIS III. Tlalxicapan.



YCHATLEPATLIS herba est folia proferens mediocris magnitudinis, cordis ferè figura, infernè hirsuta, albidæq; & viridia supernè. caules multos, ac purpurascens. flores virentes in formam corymborum compositos, obrotūdumq; fructum, & capillos quosdam iuxta foliorum exortus, radicemq; fibratam. Prouenit calidis regionibus, præruptis locis, motiumq; faucibus. Acris, calidæq; & sicca ordine quarto, & facultatis adstringentis. folia mirum in modum Chrysmelorum odorem, aut malorum Cydoniorum spirant. Ius decocti eorum, dolorem ventriculi sedat. farina radicum inspersa, vlceribus pudendorum medetur. Cortex radicum ex aqua deuoratus, dicitur hydropi mirabili quodam successu mederi, si trium drachmarum sumatur mensura.

Huius Ychatlepatlis tres hic imagines exponi-

ponimus, tres huius generis differètiâs exprimentes. Primo loco posita, quæ cincinnis exornatur ex alis prodeuntibus; purpureos habet caules, folia ferè bina ex aduerso sita.

Secunda, ut in autographo depingitur, caules purpureos non habet. eiusq; spica viridis est, figura Ligustri, & flores obscure rubent.

Tertia viridi quoque factu notatur, cincinnis orbata, uti & secunda.

De YZCVICUIL, seu Oculo depicto. Cap. XXIII.



HERBA Yzcucuil, caules fert exiles, & geniculatos, rutaceis folijs refertos, sed longioribus. flores candentes, & paruos circa singulos foliorum exortus. radicem Peoniae similem, extrinsecus fuscæ, intrinsecusq; albæ. Quæ radix, cuius est in medicina vsus, initio sentitur dulcis, sed mox exurit guttur, puluis eius coniectus in aquam atque ita infusus aut deuoratus, ventris aufert dolorem, pituitam detrahit, & vrinam euocat, drachmæ tamen vnus pondere. Calida, siccaq; ordine quarto natura constat, ac vrenti facultate. seruetur radix in annuos vsus.

Flos huius herba ex omnibus alis foliorum ex aduerso positorum exit, ut in Anagallide.

De YZTACPATLI YANGVITLANSI. Cap. XXIV.



YZTACPATLIS herba est, folia producens oblonga, angustaq;, & caules tres spithamas longos, tenues, cauos, & geniculis interceptos, coccineosq; flores, ac radicem fibratam, & sensim gracilescens. Prouenit apud Mistecam superiorem. Radix est acris, & aliquantisper glutinosa, calida ordine quarto, siccaq;. eadem in farinam redacta, dicitur ventris tumores discutere; & punctis etiam, euocatis humoribus ad cutim, mederi, si bis die drachmæ vnus pondere ex aqua ebibatur.

Ocymastro videtur hæc herba similis, tum geniculis, binisq; folijs non serratis, tum vero flore ipso coccineo.



De YZTACPATLI Tgualapensi.
Cap. XXV.

HERBA YZTACPATLIS Tgualapensis radici insistit fibrata, vnde profert supites tenues, teretesq; , ornatos folijs Ocyimi, circinatis, & sublaeis floribus in pappum abeuntibus. Nascitur in calidis, planisq; , & humidis locis regionis Tgualapensis. Radix est acris, nonnihil amara, calidaq; , & sicca ordine quarto. folia vncie vnius pondere deuorata; aut decoctarum radicum Ius, ventris dolorem sedant, & pellunt lumbricos.

Flos admodum similis est Virge auree.

De YZTACPATLI Atotonilci.
Cap. XXVI.



Herba Francisci Zimbren.

YZTACPATLIS ATOTONILCI herba est, folia proferens Lini, argentea, longiuscula, & angusta. caules sesquidrantem longos, teretes, lignosos, subalbidos. flores, vt dicunt, modicos, & candentes, ac radices surculosas. Nascitur apud Atotonilcenses, aridis planisq; , ac frigidis locis. vbi ea Franciscus quidam Zimbren, à quo etiam habet nomen, passim vitur, reputans mirabile pharmacum, & reliquorum, quæ apud Indos inuenta adhuc sunt, præstantissimum. calida namque est, & sicca ordine ferè quarto, odoraq; . Radix semiuncie pondere teritur, & redigitur in spherulam, mox resoluitur ex vino, & bis, teruè pereolarur, ac bibitur succus, qui corpus citra vllam noxam, aut laborem affitum euacuat.

In figura fructus depingitur Mercurialem representans, qui tamen ob paruitatem vestè diiudicari non potest.

De

De ÇACATLEPATLI. Cap. XXVII.



CACATLEPATLIS, quam alij Tetlacian, seu vrentem medicinam vocant, herba est folia proferens Hordei, Graminisq; , flores luteos, calycibus contectos, ac semen exile, & rotundum, radicesq; multas Aphodelo, similes. Nascitur in frigidis locis, qualis est Huesorzinum, & Xalailanum. Radices calci additas, aiunt vetustis vlcibus egregiè mederi, sed præcipuè his, quæ fauorum more multis scatent osculis. dilatatis namque plagis, atque exteris, tandem eo vitio affecti, sanitati restituantur. strumas etiam sanare impositas felici semper euentu, tumores præter naturam rumpere, atque patefacere, curare lychenas, & integram (si opus sit) carnem corrodere, & excauare. calida enim est ordine quarto, & vrenti natura, vnde euenit nomen.

Aphodeli nostrates est quartum caloris gradum non attingant, tamen ad purgationes; præsertim per vomitum, non sunt inefficaces. quod longe etiam efficacius præstabit acrimonia sua hic ab Authore descriptus Aphodelus.

De AXIXCOÇAHVIZPATLI,
seu medicina vrinae lutea.
Cap. XXIIIX.



HERBA est Axixcoçahvizpatlis folia ferens infernè lutea, vnde nomen, scutorum, aut Hederæ forma, multisq; distincta interuenijs. caules teretes, longos, lignosos. radicem verò breuem, crassiusculam, fibratam. Nascitur in collibus frigidarum regionum, campestribusq; , locis Tanguilani Mistecæ superioris. Radix est odorata gustu, acris, calidaq; , & sicca ordine tertio, subtiliumq; partium. vrinam euocat, & dolores renum tollit Ius decocti foliorum, semel quotidie tempore matutino epotatum.

De

De CEMPOALXOCHITL, seu Indici Caryophyllis
Cap. XXIIX.

PLANTA ferens florem, quem Mexicenses à numerosa foliorum multitudine *Cempoalxochitl*, Hispani Caryophyllum Indicum, & antiqui ex quorundam falsa sententia *Othonam*, aut Iouis florem vocant: herba est, cuius septem præcipue (quamquam sint & aliæ) in hac Noua Hispania differentiæ reperiuntur, flore, nomine, & magnitudine distinctæ. folijs omnes constant Tanacetij, floribus autem luteis, aut ex luteo rufescentibus. facultate ordine tertio calida, & sicca. sapore acri, tenuibus partibus, & non sine quadam grauitate.

CEMPOALXOCHITL
Caryophylli Mexicani planta.



CEMPOALXOCHITL, seu
Giubnaxochitl. *Tzneycepobual*.
Caryophyllus Mexicanus I.



Vires. odoris. vi pollet discufforia, & aperienti. Foliorum succus ebibitus, aut folia ipsa contusa, & ex aqua epota, vinouè, ventriculum gelidum contemperant. menies, vrinam, & sudores eliciunt. frigora intermittentium arcent illita paulò ante accessionem. statum discutunt, venerem excitant, cachexiam à causa frigida ortam vitio hepatis curant, aperiunt obstructa. conuulsa laxant, hydropem leuant. vomitum ex aqua tepida procurant. & tandem febrium rigoribus, imò febribus ipsis, expurgata per vrinam & per sudorem causa, medetur. Primæ speciei flos est luteus, cæterorumuè generum flores vincit foliorum amplitudine, & numero, & *Cempoalxochitl* propriè vocatur à Mexicanis ob innumeram, vt dictum, mira-

Species.
I. Cempoal
Xochitl.

mirabilemque foliorum congeriem. quorum dispositione & forma, albam Rosam nostratam quadantenus videtur imitari. Huius generis planta cæteris maior est, & amplioribus ornatur folijs. Secundus flos *Oquichitl*, seu flos malculus II. *Ocoquichitl*.

OQUICHTLI COCAXOCHITL.
Caryophyllus Mexicanus II.

TLAPALTECACAYATL.
Caryophyllus Mexicanus III.



MACVILXOCHITL, seu *Maon*.
Caryoph. Mexic. IV.



dictus, ob magnitudinem foliorum & calycis, vt à primo genere totius plantæ, floris, & foliorum amplitudine longo superatur interuallo, sic reliqua in omnibus (si foliorum numerum excipias, quo cunctis pene cedit) superat, ac vincit. Tertium florum genus *Tlapaltecacayatl* ob colorum varietatem dictum, minus est secundo, sed folijs, vt attingimus numerosioribus, & è luteo in venetum inclinantibus colorem. huius plantæ minor est præcedentibus, & minoribus folijs constat. Quartum verò dictum *Macvilxochitl*, tertio ferè est par, sed pallenti colore. Quintum *Tlapaltecacayatl*, vel *Coaxochitl* vocatum, prædictis omnibus minus est, & non vsque adeo numerosis folijs, tertiumque colore imitatur. Sextum *Cocaxochitl*, vel *Cocayatl* dictum, luteum est, & minus

III. Tlapalte
Cacayatl.

IV. Macuil
Xochitl.

V. Tlapal-
cocayatl.

VI. Caca-
xochitl.



TEPECENPOAL XOCHITL.
 Caryoph. Mexic. VII.

VII. Tepe-
 cepoalXo-
 chitl.



nus præcedenti. Maiusculum est septimum Tepecenpoal xochitl nuncupatum, sed exilioribus, luteisq; floribus, qualia sunt quoque ipsius plantæ folia, quæ sunt omnium minima. Quibusuis locis & quouis tempore lata video provenire huius generæ, sed lætius in calentibus. emicuerit iamdiu apud Hispanos, lætosq; exteris quoque nationibus flores præstitere.

Nascitur hic flos elegantissimus, non tantum in Orbe nouo, sed etiam apud Africanos: unde à multis flos T unetanus, vel Africanus nominatur.

Dodonæus eius vim veneficam esse prodidit, experimento in se facto, & mures arrosi seminibus mortuos reperto: addit, & puero excessu floris os intumuisse, & porcis quibusdam fuisse exitio. Quæ tamen omnia non concludunt hanc herbam venenum esse, & inter species Tanaceti referri non posse.

Herba certè corymbifera est, & folio nulli, quam Tanaceto in eo genere propior: flos & semen non multum abluunt à congeneribus,



ribus. odor quidem quam in Tanaceto grauior, sed tamen etiam in Tanaceto magna est odoris grauitas. vires porro quod attinet, videmus ex Authore nostro esse medicamentum præstans, tum ad incidendum, tum ad purgandum. nec ea omnia venena iudicanda, quæ bestias, præsertim minores, & debiliores, necant. sic enim & Doronicum bestijs mortem infert, hominibus cordiale censetur.

Labia intumescere possunt facillimè à quavis herba calida, & acri. præsertim in puerili corpore, quod à quouis agente multum patitur. Quod si omnino ob prædictas causas venenum quis dicere velit, non minus Tanacetum, vel Absynthium venenum dicendum fuerit. Refert enim Gryllus in libro de saporibus, Medicum quendam Parisensem, summitates Absynthij deuorantem, in periculum vitæ incidisse. Non male autem Lycopersum Galeni esse putatur, quo vsus erat Centurio ille Africæ ad ingentes articulorum dolores euocandos, sicut & nos vtimur Chamamelo, Absinthio, similibusq; plantis calidis.

De CIVAPATLI YACAPICHTLENSI. Coniza Mexicana.

Cap. XXX.



CIVAPATLI YACAPICHTLENSIS, ab alijs Pitzauc cina-patli vocata, Saluæ profert folia, adeo glutinosa, vt tacta manibus, prorinus adhærescant. flores in summis caulibus purpurascens, & in corymborum formam compositos. radicemquè fibratam. Calida constat, siccaq; ordine tertii natura, & acri sapore. adeo Conizæ similis, vt nisi floribus ab ea distaret, in illius species videretur referenda. Ius decocti eius epotum, ad motumue, humores imbibitos articulis aut neruis, mirè discutit, ac dolores quosuis (causâ ablata) leuat. Nascitur in calidis Tacapichtle.

Etsi flos huius herbe sit purpureus, & non luteus, id tamen non obstat quin Conizæ sit adnumeranda planta. nam flos sæpe variat in eadem specie, non quo ad colorem solum, vt in Tulipis videmus, sed etiam in situ. Sic enim Campanula alia spicam habet, alia Umbellam. Accedit etiam, hanc herbam esse glutinosam admodum, instar Conizæ, & vires esse admodum similes.

Accedit etiam, hanc herbam esse glutinosam admodum, instar Conizæ, & vires esse admodum similes.


De COCOXIHUITL, seu herba acri.

Cap. XXXI.



ETSI Indi plantam hanc herbam vocant, in arboream tamen sepe numero magnitudinem eleuatur, duarum, ac interdum trium vlnarum æquans altitudinem. atque ideo vtriusque imaginem exhibuimus apud Regis Tetzocoqueñsis hortos, vbi rei herbariæ aliquot vacauimus dies. ergo à sapore acri, quo pollet, nomen accepit. Folia sunt Polypodio non omnino dissimilia, sinuosa, & magna, distincta venis rubrescentibus è pallido. Flores in postremis ramorum flagellis spicati, ex albo pallefcentes. è quibus fructus prodit, paruus, racemosus, & vtrimque desinens in acumen. amaro, & acri sapore constans, multoq; affluens succo. stipites hirsuti, ac teretes, & internè lutei, luteoq; succo manantes. Radix magna & surculosa, qualem exigunt arbores. folia altera parte viridia, altera verò subalbida. Calida est, & sicca intra ordinem quartum, non sine quadam adstrictione. Surculi cortice nudati; albugines atque argemata illiri disentiunt. Succus absumit flatum, curat lychenas, quod & fructus facit, & dolores à frigida causa ortos lenit. Folia medentur veteribus. plagis tusa atque applicata, verrucas corrodunt, & præcipue præputij, & pudendorum, quod certissimo patuit experimento. Sunt qui vocent hanc arborem *Quauhchilli*, à sapore acri & vrenti, Siliqua stroque *Chilli* vocato à Mexicanis, quam simillimo. Prouenit temperatis, calentibusq; regionibus, conuallibus, necnon in cultis, & hortensibus. Sunt etiam qui *Totolinycachiil*, seu *Passeris* florem vocent. nec desunt qui *Tlaroxihuitl*.

Folia *Acantho*, vel *Botry* similia depinguntur, & *Vena* omnes intercurfantes rubent. in summo spica sunt flaua, quasi acini *Berberis*.



De EPAZOTL, Atriplici odorata Mexicana.

Cap. XXXII.

Scordio



EPAZOTL, seu planta odorata, herba est odora, folia ferens oblonga, crenata, & rubelcentia. caules cubitales, spicatum semen, ac radices surculosas. Nascitur in calidis, temperatisq; regionibus; coliturque in hortis nonnullarum commoditatum gratia. Acris est odora, & tertio ordine calefaciens. edulis etiam, cruda coctave. & adiecta condimentis corroborat: pectori, asthmaticis, & obstructis confert, & gratam alimoniam præbet. Ius decocti radicum dysenterias coërcet, dissipat inflammationes, & noxia venenis pellit animalia.

Folia rubra sunt, admodum similia Atriplici, vel Botry.

De ERAHVENI

Cap. XXXIII.



ERAHVENI herba est folia Origani fundens, caules teretes, flores longiusculos, cyaneos, & angustos, ac radicem contortam, glutinosam, & prolixam. olet *Coriandrum*, sed acrius quidpiam sapit. Nascitur in *Tancitari* temperatis locis. Calida & sicca ordine tertio constat natura, & subtilibus partibus. Ius decocti eius infusum, torminibus medetur, vrinam euocat, flatum discutit, & obstructions aperit, crassa corpora extenuat, aliosque huiusmodi vsus permultos præstat.